



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

29. Dies Augusti. Magni artificis, clausisse totum in exiguo. Seneca epist.  
6.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-55659)

## 29. DIES AUGUSTI.

Magni artificis est, classisse totum in exiguo.

*Seneca epist. 6.*

Eucha-  
ristia.

I.

Quid magis totum pro homi-  
ne, quam Deus-Homo?  
Quid magis exiguum, quam  
punctum? Illud immensum

Totum, circumscribitur unius panis consecratu-  
pto. Itaque, bonorum omnium compendium, est  
Eucharistiae mysterium. Non uiri Salomonii fuit si-  
gulare, sed cuivis homini est commune dicere, & di-  
cendo sibi proponere: (a) *Vad am, & affluam delecto,*  
*& fruar bonis.* Vade, quo lubet, ut investiges deli-  
tias; nusquam invenies, quibus affluas, delicias, nisi  
confluas ad illum: (b) *Cujus delitiae sunt, esse cum filio*  
*hominum.* Nec tibi latis est, affluere delitius, cupis &  
frui bonis. Bonum est velle frui bonis, sed malum  
est, querere, quibus fruaris, bona extra summum  
Bonum. Quid enim, credis esse aliqua bona extra  
eum, & praeter eum, qui (c) *unus est bonus, Deum?*  
Vade, sed extra eum mala non evades? imò quod  
malorum est pessimum, malus evades? sed relictio  
eo, qui unus, & solus est bonus, quo vades, ut fruaris  
bonis? (d) *Ad dominum convivū?* Ibi (e) *vinum, in quo*  
*est luxuria.* Ad campum? Ibi cædes, & prælia. Ad  
forum? Ibi rixæ, & iurgia. Ad curias? Ibi curæ, &  
discordiæ. Ad mare? Ibi naufragia, vel naufragii  
pericula. Ad palatia? Ibi fraude, & mendacia.

Quo-

(a) *Ecclesiastes 1.2.* (b) *Proverbs 4.31.* (c) *Matthew 9.17.* (d)  
*Ecclesiastes 7.3.* (e) *Ephesians 5.18.*

Quocunque vadis, nusquam est, mala evadendi effugium, nusquam non mala incurrendi periculum.

II. Tu, qui es adeò ambitiosus honorum, veni, sequere praeuentem. (a) *Ego ostendam omne bonum ubi.* Quo invento, mox exclamabis: (b) *Bonum est, nos hic esse.* Unum est, quod ex corde extorquet amorem, Bonum. Si bonum tibi est amabile: ecce hic in terris amabilium omnium amabilissimum, quia Bonorum omnium optimum, Eucharistiae Sacramentum. Hic rectè dixeris iisdem verbis, sed alio verborum sensu, quod ille agrorum dives, sed virtutum egens: (c) *Anima mea, habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comedere, bibe, epulare?* O Anima! hic in Eucharistia, habes multa bona? Multa dico? Parum dixi: (d) *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sic enim divus Ambrosius: (e) *Omnia habemus in Christo, & omnia Christus est nobis.* Hic ergò, habes multa bona? & habes illa bona posita in Christo, & deposita apud Christum? & scis: (f) *Quia potens est depositum tuum servare.* Et quod caput est; habes hæc bona posita ad annos plurimos: imò, si vis, ad annos aeternos? Nunc ergò, Requiesce. Si enim hic paululum subsistas, & requiecas, mox exclamabis: (g) *Inveni mihi multam requiem.* Deinde, Comede. Hic enim est quem comedas, cibus: (h) *Caro mea verè est cibus.* Et Bibe: hic enim est *vinum germinans virgines.* Et Epulare: hic est enim, unde puleris, (i) *vitulus saginatus.*

Dein-

(a) *Exod. 33.19* (b) *Matth. 17.* (c) *Luc. 12.19.* (d) *Sap. 7.14,* (e) *L. 3. de Virginit.* (f) *2. Tim. 1.12.* (g) *Ps. 76.6. Ecol. 51.53.* (h) *Joan. 6.56.* (i) *Zach. 9.27.*

Deinde, es hic in conspectu Dei, nunc autem invitat  
Deus ad epulas, dicens: (a) *Justi epulentur, & exultentur in Deo.*

III. Nonne ergò habes hic bona multa? quando habes, quæ optare possis, bona omnia? Unus Iesus est tibi omnia, per quem facta sunt omnia; immo, qui ipse, omnibus omnia est factus. Ipse tibi erit sitienti fons, esurienti panis, ægrotanti medicina, ambulanti via, peregrinanti pacchia, ignorantì scientia, laboranti ques, operanti merces, currenti bravium, deficiente robur, marenti solatum, pugnanti corona, vincenti gloria, morienti vita, pereunti salus. Cum igitur unus Iesus sit omnia unicuique, quid supereat? quam, ut illum unum inter omnia, amemus præ omnibus, audientes monitum, & sequentes consilium D. Paulini, sic loquentis, & consulentis (b) *Christum amemus, quem amare, debitum est: illum osculemur, quem osculari, castitas est: illi copulamur, cui nubere, virginitas est: illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est: propter illum deciciamur, cui cadere, resurrectio est?* Potestne igitur tibi ad votum optabilior, ad tranquillitatem, securior, ad salutem, utilior esse locus in cœlo, vel interra? quam esse coram eo: qui (c) *In principio creavit cælum, & terram, & cui (d) data est omnis potestas in cælo, & in terra?* Aude hic ergo dicere (e) *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Ecce hic cælum, extra cælum, esse apud Jesum! Itaque,  
*Desere nunc canum: Christus dum fit tibi cælum.*

29. DIES

(a) *Psal. 67.4.* (b) *Ep. 5. ad Sever.* (c) *Gen. 1.1.*  
(d) *Matth. 28.18.* (e) *Psa. 72.25.*